



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 56. Rothomagum, aliæque urbes a Calvinistis occupata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

biis ejus, & intra *banleucam*, uti vocant, Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.  
coetus fieri, aut sacramenta alio, quam  
recepto antiquitus ritu, celebrare veta-  
batur.

§. LVI.

*Rothomagum, aliæque urbes a Cal-  
vinistis occupatæ.*

Postremo hoc edicto, quamvis Prote- Thuan. l. 5.  
Mem. de  
Castelnaus  
l. 3. c. 9.  
stantium factioni plurimum faveret,  
nondum tamen eorum rabies placari  
poterat, quinimo ut furorem suum eo  
firmius non sine gravi Catholicorum di-  
spendio exercerent, Maris Præfectus  
Condæo Principi auctor extitit, ut no-  
biliores Regni urbes invaderet, prius-  
quam Triumviri illas validis præsi-  
diis munire possent. Arrepto hoc consilio  
mox Condæus Nobiles suos emittebat  
ad omnes urbes, ubi Calvinistæ promo-  
vendæ huic expeditioni viribus haud  
impares erant: cum autem emissarius  
ille, qui Rothomagum petebat, majori  
ceteris celeritate accurreret, hanc ur-  
bem ferme sine ullo armorum strepitu  
in suam redegit potestatem, ac prospe-  
ri successus fiducia elatus Roberto Mar-  
chiano Bullionio Duci, ac Normanix  
Provinciæ Præsidi, quem Rex eo able-  
gaverat, vetus Palatium ingrediendi fa-  
cultatem denegabat, unde is sese reci-  
pere cogebatur. Capta Rothomagensi

F f 5                      urbe

Sæcul. XVI  
A. C 1562

urbe continuato rebellionis successu Calvinistæ Cenomanum, Andegavum, Vindocinum, Charitatem ad Ligerim, Blesum, Turonium, Pictavium, Pontem Cæsaris, Bogentium, Cabillonum, Matisconem, Engolismam, Lugdunum, Valentias, Romanum, ceterasque ferme omnes Delphinatus urbes, pluraque Aquitanniæ, & Occidaniæ oppida occuparunt, cui etiam fato cum ceteris succubisset Tolosa, nisi Montlucus opportuno adhuc tempore urbi suppetias attulisset. Porro Calvinistæ in omnibus urbibus, quas usurpaverant, abolito veræ Religionis exercitio altaria evertabant, sacras Imagines dilacerabant, reliquias Sanctorum comburebant, cineribusque in aera projectis Religiosos, & Sacerdotes dire vexabant, ac demum sacrilega crudelitate trucidabant, suaque horrenda rerum sacrarum profanatione seculo populo summopere execrandos reddebant, quin Princeps precibus, minisque, imo nequidem suppliciiis hanc feditiosorum rabiem coercere posset, quam tamen suæ causæ oppido nocivam fore præsenferat.

§. LVII

*Hæretici apud Senones, aliisque in  
urbibus trucidati.*

Verum